



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,  
Et Charitate

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

19 Vtrum possis vnico actu pluribus praecipis, & obligationibus  
satisfacere?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)



Ad confirmationem ex reg. iur. 8. dico facientem ex timore preceptum, aliis non facturus, non implere preceptum in affectu, & quoad Deum, bene tamen in effectu, & quoad Ecclesiam.

Ad illas vero leges respondeo cum D. Thom. relato à Sanchez *num. 4.* & à Suarez *lib. 3. de legibus. cap. 20. numero 3.* duplicem esse voluntatem, seu intentionem legislatoris, aliam de re precepta, aliam de fine obtinendo per preceptum. Præde re intentio, & voluntas est forma intrinseca legis, & idem qui aduersus illam procedit, peccat in legem. Secunda vero est extrinseca, & idem peccans in illam non censetur legem transgredi.

4 Ex his inferitur, si ex penitentia, voto, aut iuramento obligatus sis, elemosynam facere, vel Missam audire, & ob vanam gloriam hæc præstes. te satisfacere voto, iuramento, & penitentia, quia hæc omnia obligant instar cuiusdam legis, & precepti, & de penitentia docet Suarez *4. tom. in 3. p. disp. 38. sect. 9. n. 1. sup. 4.* & de voto Valquez *1. 2. q. 100. art. 9. in expositione litterar. n. 1.* & de omnibus Sanchez *lib. 1. in Dec. c. 14. n. 2. & 3. Bonacina sup. 4.*

Sed obicit, voto intendisti rem gratam Deo offerre, quia est actus religionis. Penitentia intendit Confessarius, ut iustificas Deo pro peccatis: sed hæc obtineri non possunt actu vitioso. Ergo non satisfacis voto, & penitentia per actum vitiosum.

Respondetur te non satisfacere nisi intento per votum, & penitentiam, ut conuincit ob eod. satisfacere autem materia voti, & penitentia, si rem de se gratam Deo, & honestam offeras, etsi vitiatam extrinseca circumstantia: quia finis extrinseca voti, & penitentia sub votum, & penitentiam non cadit, sicut neque cadit sub lege finis extrinseca legis, aliis qui laudè, & de honestate in die iudicij contederet, seruans formam statutam ab Ecclesia, non seruat intentionem, quia non seruat finem eius extrinsecum, qui est, ratem aliqua invidia macerare: quod est omnino fallum.

PUNCTVM XIX.

Verum possis vnico actu pluribus preceptis, & obligationibus satisfacere.

- 1 Si obligationes sunt iustitiæ, non potes pluribus vnico actu satisfacere, secus si sint obligationes diuersarum virtutum.
- 2 Vovens ieiunare in Quadragesima satisfacit precepto Ecclesie & voto.
- 3 Explicatur, quando superueniens obligatio petit distinctum actum, quando cadit super debitum.
- 4 Confessarius imponens penitentiam censendus est ad actum, qui aliis obligatori non sunt, obligare, nisi contrarium explicet.
- 5 Vovens dare elemosynam, non satisfacit voto, restituens debitum.
- 6 Idem iuris est, si parentibus, & fratribus in graui necessitate subuenias.
- 7 Quid dicendum de elemosyna data extremè, vel grauius indigenti.
- 8 Probabilis est fieri satis voto, & penitentia.
- 9 Quid dicendum si actum facias, qui pluribus obligationibus seculatim tantum satisfacere potest sub distinctione respondetur.

1 Si obligationes sunt iustitiæ, certum est apud omnes vnico actu satisfieri non posse diuersis obligationibus, implicet enim rem debitam titulo iustitiæ, alio titulo iustitiæ deberi, quia si ex iustitiâ debita est, alio titulo deberi non potest, cum super eandem rem duo tituli iustitiæ cadere non possint. Ex quo fit, si debes Petro centum ex promissione acceptata, vel ex contractu, & insuper committis delictum, quo tenentur centum dare Petro, non satisfacis vtrique obligationi dando centum, sed necessario debes dare ducentos.

Verum si obligationes sint diuersarum virtutum, seu ex diuersis preceptis, vnico actu pluribus obligationibus fieri potest satis: quia non implicet rem debitam vno titulo, alio diuerso deberi: non enim implicet rem debitam titulo iustitiæ, deberi etiam ex voto, & penitentia precepto, & debitam ex precepto temperantia deberi etiam ex voto. Ratio est, quia obligatio voti, penitentia, & alterius precepti possunt ex legislatoris intentione pendere que rebus iam debitis alio titulo alligari potest. At cum debitum iustitiæ ex ipsa rei natura oriatur, & in æquitate rei ad rem fundatur nequit duplex obligatio iustitiæ super eandem rem cadere. Sic Medina *Cod. de satisfact. q. 4. vers. coroll. sequitur.* Th. Sanchez *lib. 3. in Dec. c. 14. n. 5.* Bonac. *disp. 1. q. 1. p. 9. n. 4.* & in hoc fecerit omnes conuenient, & nemo discrepat.

Et hæc doctrina inferitur, si voueas ieiunare in Quadragesima, satisfacere & precepto Ecclesie, & voto. Item si voueas restituere debitum, dare elemosynam indigenti, satisfacis

vnico actu duplici obligationi: fieri obligatus recitare officium diuinum ratione ordinis sacri, & beneficii, vtrique titulo satisfacit vnica recitatione, quia super eandem materiam illa duplex obligatio cecidit. Quæ omnia clara sunt, & manifestata.

3 Dubium tamen est explicare, quando de facto superueniens obligatio cadat super actum debitum, quando vero expostulet alium.

Respondetur certa regula definiti non posse, sed ex circumstantiis colligendum esse, quia ex voluntate, & intentione legislatoris pendet: si enim circumstantiæ denotent legislatores velle exigere actum non debitum, manebis tunc obligatus illum præstare, neque poteris actu debito satisfacere. At si circumstantiæ denotent contentum esse actu alius debito, satisfacis illo vtrique obligationi, & obligationi denudè impostæ, & præcedenti. Sic Suarez *tom. 4. in 3. p. disput. 37. section. 6. num. 5.* Thomas Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 14. numer. 6.* Reguariter tamen, quoties distincta obligatio superuenit, distinctum actum expostulat, quia sic communiter legislatores intendunt, vt bene dicit Sanchez *supra.* Et in casu dubio sic est interpretandum, quia interpretatio fieri debet ex communiter contingentibus.

4 Ex his infero primò, Si tibi à confessario esset impostum preceptum recitandi bis calculus virgineos, & haberes votum quotidie, vel diebus festis illos recitandi, non satisfaceres precepto confessarii recitatione debita ex voto, quia confessarius nisi clare se explicet, ad rem non debitam intendit te obligare, præcipue cum obligatio illa à confessario imposta, non sit alligata dieti, sed potes, quando tibi placuerit, satisfacere. Idem est si aliqua ieiunia absolute imponeret, non satisfaceres ieiuniis ex precepto Ecclesie, aut voto debitis, quia intendit tibi obligationem imponere de re aliis non debita, vtpote maxime satisfactoria, & ita tradunt Sanchez & Suarez *supra.* Nauari. *cap. 26. num. 2. & 3. & cap. 1. in princip. num. 44. de penitentia, distinct. 6.* Azor. *tom. 1. lib. 11. c. 14. quest. 1. fin.* Sayrus *in clauis regia sac. rudi. lib. 6. cap. 3. num. 22.* Henriquez *lib. 5. de penitent. cap. 19. num. 5. & cap. 2. num. 3.* & alij ab eisdem relati. Verum si confessarius dicat: Singulis diebus hoc mensè audias sacrum, ex benigna interpretatione censetur Missa debita ex precepto diebus festis, contentus esse: neque enim censendus est obligare ad audiendum duplex sacrum diebus festis, quia est graue onus: quod non est credendum imposuisse, nisi manifestet, ac proinde diebus festis, vnico sacro audito, satisfacis vtrique obligationi & ita tenet Sanchez *supra. c. 14. n. 6.* Bonac. *disp. 1. de leg. q. 1. punct. 9. n. 7.*

5 Secundo infero, Si voueas dare elemosynam, vel illam ex penitentia debeas, non satisfacere dando ea, quæ debes restituere ob incertorum ablationem, quia elargitio non est donatio liberalis, & consequenter neque elemosyna. Sed est solutio & restitutio debiti. Sic Sanchez *n. 6.*

6 Tertio infero cum eodem Sanchez te non satisfacere voto, vel penitentia, de danda elemosyna, si des fratribus, aut, & parentibus taliter indigentibus, vt teneas illis subuenire, quia illa non erit proprie elemosyna, sed solutio debiti legalis, ad quam per iudicem potes compelli, casu quo dices sis. Item quia non est elargitio pauperi, pauper enim non est, qui ius habet postulandi alimenta, vt ex aliis probat *Surdus de aliment. tit. 7. quest. 37. a. n. 1. v. que ad 1. r.* Verum si aliis consanguineis à supra relatis elemosynam tribuas, satisfacis voto, & penitentia iunctæ, quia non teneris ex debito legali illis alimenta præbere, vt probat Mol. *na. lib. 2. de primog. c. 1. §. 2. num. 37.*

7 Quarto infero, quid dicendum sit de elemosyna data pauperi grauius, aut extremè indigenti: an, inquam, tali elemosyna satisfacis elemosynæ debitæ ex voto, vel penitentia? Videris quidem non satisfacere, quia illa elemosyna est debita ex precepto misericordia, sed quæ debita sunt alio precepto, non censuris vouere, neque tibi in penitentiam iniungi, nisi expimentur. Ergo. Et confirmo. Ideo prima Missa audita in die festo non satisfacis pro Missa debita ex voto, & penitentia, et si velis pro voto & penitentia applicare, quia illa Missa non cecidit sub voto, & penitentia, siquidem non est in tua potestate firmum, facere, quod non sit debita, & quod illa non fiat satis precepto Ecclesie. Sed similiter non est in tua potestate facere, quod pauperi extremè, vel grauius indigenti elemosyna non debeat ex precepto misericordia. Ergo illa elemosyna non potest fieri satis elemosynæ debitæ ex voto, & penitentia. Sic Medina *Cod. de satisfact. quest. 4. Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 27. sect. 6. n. 5.* Sayrus *in clauis reg. lib. 6. c. 3. n. 22.* Palud. *4. dist. 13. q. 1. art. 2. n. 8.*

8 Verum in hoc casu probabilis censo satisfieri penitentia, & voto illa elemosyna data extremè indigenti. Sic tradit Henriquez *lib. 5. de penitent. cap. 21. num. 3. in comm. litt. Q. Azor. tom. 1. lib. 11. cap. 14. quest. 1. in fin.* Eman. Saà *sum. verbo satisfactio. dub. 9. sine.* Th. Sanchez alios referens *lib. 1. in Decalog. cap. 14. numer. 6.* Moueoz. quia non est debita illa elemosyna ex precepto misericordia absolute, sed ex suppositione, quod non possis alia via necessitati pauperis subuenire. Quod constat

DE  
LA  
ASTR  
D'ALAC  
TON,  
E  
E



constat manifeste. Nam si debita restituenda pauperibus tali pauperi tribueres, cessaret tibi obligatio dandi elemosynam: quia hæc solum adest, dum non potes alia via eius necessitati providere. Sed in casu præsentis potes necessitati pauperis subvenire elemosyna debita ex voto, & poenitentia. Ergo alia elemosyna ex præcepto misericordie non debetur. Ex quo manet soluta ratio in contrarium: Missa enim in die festo absolute est debita, etiam quacunque suppositione facta, secus de elemosyna indigenti.

9. Quod inferitur quid dicendum, cum pro multiplicatione tituli res multiplicanda est, v. g. debes dare pauperibus centum ob iniuste ablata, alia centum ex voto: alia ex poenitentia: si centum largiaris eam ex his obligationibus satisfacies. Omnibus est impossibile, quia non debes solum centum, sed tet centum.

Et quidem si decrevisti vni illarum obligationum satisfacere, illi satisfacis: quia illud opus de se est integrè satisfactorium, pro qualibet illarum obligationum: solum ergo indiget determinatione, ut ponit vni obligationi præ aliis satisfacies: hanc autem determinationem a tua intentione habet. Ergo. Et videtur hoc decisum in l. cum pluribus ff. de solutione. Sic Sanch. lib. 1. in Decalog. cap. 14. num. 8. Bonac. disp. 1. de legibus quest. 1. num. 10. num. 12. Limitanda tamen est hæc doctrina, ne superioribus contradicat pro obligationibus. quæ à loco & tempore absolventur, & à tua voluntate pendet illorum satisfactio. Alias tua intentio, & applicatio nihili deferret. Quod dixerim, ut intelligas, si die festo audias sacrum, intentione satisfaciendi voto, intendens aliud audire intentione satisfaciendi Ecclesie præcepto, voto non satisfacis, sed Ecclesie præcepto, quia illa Missa non sub voto comprehensa fuit, sed sub præcepto, vt potest debita.

Quod si decrevisti omnibus obligationibus satisfacere, cum sit impossibile satisfacere integrè, satisfacis eo modo, quo possis: nam actus, qui non valet, ut agitur, debet valere meliori modo, quo potest, ut tradunt Doctores in cap. unico. §. idem quoque de despons. in p. n. 6. & constat ex ipso textu. Quocirca in præsentis distinguendum est: aut opus est divisibile, aut indivisibile, si opus est divisibile, vt elemosyna, & largiaris centum, cum debeas ter centum pro furto, voto, & poenitentia, satisfacis pro rata parti cuiuslibet debiti: manebit tamen cuiuslibet debiti pars insoluta, cui onus habebis satisfaciendi: quia cum illa largitio pecunie non possit omnibus debitis integrè satisfacere, & potest cuiuslibet parti, illa pars manebit satisfacta. Si verò opus indivisibile sit, vt ieiunium, vel Missa, & intendis omnibus obligationibus vno solo sacro satisfacere, cum tria debeas, reputandus es vtgentiori obligationi satisfacere, ob rationem dictam: quia cum illa Missa non possit diuidi in satisfactionem plurium obligationum, sed necessarò vni tantum debeat impendi: & ex tua expressa intentione non signetur vna præ alia, asistendum est, vtgentiori obligationi satisfacere: quia sic valet actus, meliori modo quo potest. Quare cum præceptum Ecclesiasticum præualeat voto, & votum præualeat præcepto Confessarij, censeberis prius Ecclesiastico præcepto, deinde voto satisfacere, & tertio poenitentia.

Quod si nulli obligationi decrevisti satisfacere, sed illarum imemor opus debitum vatis obligationibus exequeris, tunc sequenda est decisio legis, cum ex pluribus ff. de solutione, ubi dicitur: Si debita sunt omnino equalia, nec quisquam dixerit, cui debito satisfacere velit, censetur omnibus pro rata satisfacere, si autem alterum sit grauius, censetur grauiori. Excipe debitum ex iustitia: huic enim necessarò requiritur intentio satisfaciendi: alius erit donatio liberalis, & non solutio, vt sæpè in superioribus dictum est. Consentiant in his Sanchez, & Bonacina supra.

PUNCTVM XX.

Vtrum pluribus actibus eodem tempore factis possis satisfacere pluribus præceptis.

- 1. Affirmatiue responderetur.
2. Explicatur conclusio, & refellitur quadam Doctorem limitatione.

1. Respondeo posse, si actus facias, quales eriguntur à quolibet præcepto, quia efficiis, quidquid per præcepta exigitur. Ergo satisfacis illis: diuersas enim temporum nullibi in præceptis exigitur, & ita tenet Nauarr. summ. cap. 21. num. 8. & cap. quando de consecr. distinct. 1. cap. 19. num. 178. Henriquez lib. 9. de Missa, cap. 25. num. 5. Azor. tom. 1. lib. 10. cap. 12. q. 10. & lib. 7. c. 5. q. 3. Valenc. 2. 2. disp. 6. q. 2. p. 1. c. 1. coroll. 1. Suarez de sacram. disp. 38. sect. 6. n. 5. Bonacina disp. 1. de leg. q. 1. p. 9. num. 8. Th. Sanchez lib. 1. in Decalog. c. 14. n. 11. & alij plures ab eisdem relati.

2. Dixi te posse eodem tempore satisfacere pluribus præceptis per plures actus, si actus facias, quales exigitur à præceptis. Nam plures Doctores existimant regulariter hoc esse

impossibile: quia non potes pluribus actionibus incumbere ea attentione, quæ à præceptis exigitur: quia de causa dicunt te posse satisfacere præcepto audiendi Missam si simul velis satisfacere præcepto recitandi horas canonicas, & simul attentio vnius actionis, attentionem alterius impedit. Sic Syluest. verbo Missa 2. fin. Angelus verbo feria. num. 46. Armilla verbo festum, num. 11. & verbo Missa. n. 33. Rosella verbo, Dominica, num. 7.

Verum iure optimo hæc doctrina ab alijs Doctoribus, præcipuè Nauarr. Azor. Henriquez. Suarez, Sanchez, & Bonacina non admittitur: non enim potentia intellectiua ita limitata est, vt nequeat duplici actioni simul attendere, & experientia constat recitantem calculum vitæ, vel horas canonicas posse sufficienter testificari de omnibus, quæ in Missa contigerunt. Signum ergo est manifestum attendisse sufficienter. Adde non requiri in lupradictis actionibus diuersam attentionem, sed vnam: non enim necesse est, vt ad verba, & sensum illorum, quæ in Missa, vel horis canonicis proferuntur attendas, sufficit si attendas ad Deum; quæ attentio vtrique operi conuenit, & sufficiens est.

PUNCTVM XXI.

Quando censetur peccare impedimentum apponens, vel non tollens legi, vel præcepto adimplendis.

- 1. Proponitur dubitandi ratio.
2. Respondetur questioni sub distinctione, & affirmatur præcepta naturalia per se obligare omnia impedimenta tollere, secus præcepta positua.
3. Explicatur doctrina.
4. Proponitur obiectio, & sic satis.

1. Semper videris peccare, quoties impedimentum apponis executioni præcepti, vel iam impedimentum appositum non tollis, vel apponendum non remoues: quia superior præcipiens finem, simul etiam, & media censetur præcipere. Sed est medium necessarium remouere impedimenta, quæ executioni præcepti obstant, vel iam posita remouere. Ergo si id non facis, peccas.

2. Ceterum hæc doctrina ita generaliter sumpta vera non est: non enim excommunicatus tenetur ex vi præcepti audiendi Missam, absolutionem quæret excommunicationis, vt plures Doctores docent, quos refero in materia Eucharistia in fine. vbi de præcepto audiendi Missam; neque tenetur diues non laborare, vt possit ieiunium seruare, neque peregrinationem in alium diem differre, vt censent plures. Quocirca distinguendum est inter præcepta naturalia, & positua; & affirmandum præcepta naturalia per se obligare omnia impedimenta illorum executioni obstantia remouere: & media, quæ ad illorum executionem per se necessaria sunt, apponere, quia cum obligatio horum præceptorum ex ipsis rebus nascatur, nequit limitata esse obligatio pro vno, vel altero medio, aut impedimento & non pro omnibus. Vnde exequens officium iudicis, Confessarij, Aduocati, tenetur addicere, quæ necessaria sunt ad illius rectam executionem, & remouere impedimenta, quæ obstat vlti fuerint. Et obligatur lege charitatis succurrere indigenti, elemosyna corporali, vel (spirituali) correctione, tenetur media necessaria apponere, & impedimenta, quæ videt obstat, remouere, quia hæc obligatio ex ipsa rei natura nascitur: & si natura præscribit absolute finem, & media necessariis ad illum præscribere debet. Quare nisi iusta aliqua causa intercedat exculacionis, præceptum ad hæc omnia ponenda, vel remouenda obligat. Neque in horum præceptorum impedimentis video esse inter Doctores dissensionem, solum enim est dissensio pro sufficienti causa exculacionis.

At in præceptis posituis secus dicendum est: non enim ex vi horum præceptorum tenentis omnia media, quæ videntur aliquo modo necessaria ad illius executionem apponere, vel impedimenta remouere, quia non obligant cum tanto grauius: cum enim horum obligatio ex voluntate legislatoris procedat, poterit legislator illorum obligationem statuere sub conditione, quod liber, & expeditus existas, non verò imperare tibi expeditonem. Quod exemplo de excommunicatione pro præcepto audiendi Missam, & exemplo peregrinationis pro præcepto ieiunij illustrari potest. Quæ autem sint media apponenda, quæque impedimenta remouenda pro executione horum præceptorum, non videtur posse certa regula definiti; aliqua enim sunt grauiora præcepta, alia leniora, & sic media apponunt, vel impedimenta remouent proximiora, vel remotiora: quare ex modo, quo quodlibet præceptum receptum est, peti debet hæc obligatio. Sic docet Thom. Sanch. lib. 1. in Decalog. 15. num. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. disp. 2. sect. 9. n. 117. & 118.

3. Verum est hoc ita sit, credo omnia illa media, quæ per se, & intus esse, seu ex natura rei necessaria sunt ad illorum executionem